UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivris Canonici

Andreas, Valerius

Francofurti & Lipsiae, 1720

IIX. de schismaticis & ordinatis ab eis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63277

Visual Library

III. *Confiſcatio* bonorum omnium patrimonialium, idque ſimiliter ipſo jure, ſive ex die commiſſi criminis. Ut etiam executio fieri non poſſit ante declarationem criminis a judice competente factam.

c. 10. §. 1. & d. c. 13. §. damnati h. t. c. 19. eod. in 6.

Hæreticorum, qua talium bona non recte confiſcantur.

IV. *Mors* ſive ultimum ſupplicium, quæ pœna alibi gladii eſt: alia alibi, & fere arbitraria. Conſuetudo pœnam ignis paſſim recepit, ex lege Friderici II. Imp.

(Multo minus morte hæretici, qua tales puniendi ſunt: Hæreſis enim in errore intellectus conſiſtit: Magiſtratus vero in intellectum nullum habet imperium: nec ille de occulta voluntatis malitia, an quæ ſubſit, facile judicare poteſt. Add. 2. *Tim.* 11. v. 24. 2. *Cor.* 12. v. 4. *Matth.* 19. v. 14. 15. vid. Thuanus *præfat. Hiſtor.* Gerhard. *loc. d. magiſtr. polit. n.* 314. & *ſeqq.* Carpz. prax. Crimin. *Part.* 1. *quæſt.* 44. Struv. progymn. *in Cod. d. jur. ſacr. ad tit. d. hæretic.* 15. Conf. *epitom. proceſſ. d. occid. hæretic.* & v. *conſcient. inſer.* inter Juſt. Lipſ. & Theodor. Coornhertium.)

De Schiſmaticis & ordinatis ab eis.

TIT. VIII.

Proximi Hæreticis ſunt Schiſmatici, cum nullum ſit Schiſma, quod non fingat ſibi hæreſin aliquam.

1. Quid

1. *Quid igitur eſt Schiſma?*

EST crimen, quo quis ab unitate Ec-cleſiæ diſceſſionem facit, eamque ſcin-dit quodammodo, ſe ab obedientia ſum-mi Pont. ejus capiti debita, ſubtrahens, quod & nomen Schiſmatis indicat, a Schiſſura dictum.

(Haud recte additur deſcriptioni Schiſm. quod is hoc crimen committat, qui *ab obedien-tia Pontifici, ac ſi hic caput Eccleſiæ ſit, ſe ſubtrahit.*)

2. *In quo differt Schiſmaticus ab Hæ-retico?*

Quod Hæreticus pravum aliquod do-gma contra Eccleſiam Catholicam perti-naciter defendat. Schiſmaticus vero nul-lum quidem pravum dogma ſequatur, ſe tamen dividat, & ab Eccleſia Romanæ unitate deficiat. Itaque omnis hæreticus eſt ſchiſmaticus, ſed non e contra omnis ſchiſmaticus eſt hæreticus, quamvis poſtea ſchiſmaticus fere incidat in hæreſin ali-quam. Unde eodem ordine habendi ſchiſmatici, quo hæretici, iisdemque pœ-nis ſunt obnoxii.

c. un. h. t. in 6. Jac. Pamel. in Ep. 55. D. Cyp.

(Similiter nec is Schiſmaticus eſt, qui ab Ec-cleſiæ Romanæ unitate deficit: Rectius vero Schiſmatici dicuntur, qui fundamentum qui-dem ſanæ doctrinæ retinent, ſed errant in rebus indifferentibus, ac inde ſeſe ab Eccleſiæ com-munione ſejungunt. Atque hi, niſi in hæreſin aliquam incidant, iisdem cum hæreticis pœnis

non

ut ſunt obnoxii. Add. Joh. Gerhard. *loc. d. Miniſt. Eccleſ. n. 370.*)

3. *Quid cenſes de ordinatis a Schiſmaticis?*

Ordinationes hujusmodi eſſe irritas atque inanes: & a ſchiſmatico ordinatum protinus ab officio repellendum eſſe, niſi legitime cum eo fuerit diſpenſatum. Ergo ordinatus a ſchiſmatico manet quidem ipſo jure ſuſpenſus ab officio & uſu Ordinis, tenet vero Ordo ſic ſuſceptus: quia Ordines per ſe ſubſiſtunt & imprimunt characterem. *c. 1. h. t.* *c. 2. eod.* *Hoſtien. in Summa h. t. num. 4.*

(*Cum Autor Titulos quosdam omiſerit, lubuit iſtos ex Andreæ Vallenſis Prof. Lovanienſis Paratitlis Decretalium ſupplere.*)

TIT. IX.

De Apoſtatis & Reiterantibus baptiſmum.

Apoſtatarum ſacrilegum quoque nomen eſt, *l. C. 4. de Apoſtatis:* & Apoſtaſia graviſſimum crimen, in ipſum Deum principaliter tendens. Imo Apoſtatæ in eo deteriores hæreticis ſunt, quia fidem ſemel in baptiſmo ſuſce-